



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

De Invocatione Sanctorvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

mandatum, sed etiam contra Primarium articulum Redemptionis. Quare nec admittendum, nec ferendum.

Quintò. Reliquiæ sanctorum, refertæ multis mendacijs, ineptijs, & fatuitatibus. Canum & equorum ossa tibi sæpe reperta sunt. Et licet aliquod forte mandatum fuisset, tamen propter imposturas istas, quæ diabolo ritum excitant, tamdudum danari debuerunt, cum præsertim careant verbo Dei, & non necessitate inutiles sint. Estq; hoc omniũ terribilissimum, quod faciunt, istas reliquias indulgentiam & remissionem peccatorum operari, & loco cultus Dei & boni operis, sicut Missam, illas venerati sunt, &c.

Sextò. Huc pertinent Indulgentiæ viuus & defunctis pro pecunia attributæ, quibus sacrilegus & damnatus Iudas seu Papa, meritum Christi, & merita ipsius, & totius Ecclesiæ, vendit, &c. quæ omnia & singula nequaquam ferenda sunt, quia carent verbo Dei, non sunt mandata, non sunt necessaria, sed pugnant cum articulo primo. Meritum enim Christi non nostris operibus, aut nummis, sed per fidem ex gratia apprehenditur & obrinetur, sine pecunia & merito, non per Papæ potestatem, sed per prædicationem verbi Dei oblatum & propositum.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

Inuocatio sanctorum est etiam pars abusuum & errorum Antichristi, pugnans cum primo principali articulo, & delens agnitionem Christi. Non est mandata, nec consilio, nec exemplo, nec testimonio scripturæ nititur. Omnia in Christo melius & certius nobis sunt proposita, vt non egeamus inuocatione sanctorum, etiam si res preciosa esset, cum tamen sit maximè pernicioosa.

Et si Angeli in cælo pro nobis orent (sicut ipse quoque Christus facit) & sancti in terris, & fortassis etiam

in cœlis; tamen inde non sequitur, Angelos & sanctos à nobis esse inuocandos, adorandos, ieiunijs, ferijs, Missis, oblationibus, templorum, altarium, cultuum foundationibus, & alijs modis honorandos, vt patronos & intercessores, & vnicuique eorum certa auxilia esse tribuenda, vt Papistæ doceant & faciunt. Hoc enim Idolatricum est, & hic honos soli Deo tribuendus est. Potest quidem, vt Christianus & sanctus in terris pro merore, non in vna tantum, sed in omni necessitate, propterea autem non debeo te adorare, inuocare, ferias, ieiunia, oblationes, Missas in tui honorem & cultum celebrare, & fidem ad salutem meam tibi mancipare, cum alijs modis te honorare, diligere, & tibi gratias agere in Christo possim. Hic ergo idolatricus cultus de Angelis & defunctis sanctis si sublatus fuerit, reliqua veneratio periculo carebit, & citò obliuioni tradetur. Vbi enim spes commodi & subsidij corporalis & spiritualis adempta fuerit, ibi cultus sanctorum facile euanesceat, siue illi sint in sepulchris, siue in cœlis. Frustra enim, aut ex mera caritate, nemo ipsorum facile recordabitur, nec eos colet & honore diuino afficiet.

Summatim: Quidquid Missa Pontificia est, & quidquid habet, quod ex ea natum est, & quidquid ei adheret, id vniuersum ferre non possumus, sed damnare cogimur, vt venerandum sacramentum, purum & certum, secundum institutionem Christi, per fidem usurpatum & acceptum, retinere possimus.

III. *Articulus, de Collegijs Canonico- rum, Cathedralibus, & monasterijs.*

COLLEGIA Canonico- & cœnobica, olim optima intentione maiorum fundata, ad educandos viros doctos, & castas ac modestas feminas, debebant rursum cœverti in talem usum, vt pastores, con-